ANNUS
APOSTOLICUS

9

EL
AMOR DE DIOS

BV30
L3
v.5
t.9

008521

1080015164

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

# ANNUS APOSTOLICUS

# ANNUS
# APOSTOLICUS

CONTINENS CONCIONES

I. TOTO ADVENTU — II. TEMPORE QUADRAGESIMAE
III. OMNIBUS ET SINGULIS TOTIUS ANNI DIEBUS DOMINICIS
IV. DE SANCTIS

## PRÆDICABILES
STILO PERSPICUO ELABORATAS
CLARAQUE METHODO CONCINNATAS

AUCTORE R. P.

**Fr. ZACHARIA LASELVE**

*Sacræ Theologiæ Lectore, necnon Provinciæ Recollectorum Sanctissimi Sacramenti seu Tolosanæ alumno.*

---

EDITIO REVISA ET ADNOTATA A P. A. SARACENO PRESB. CONGREG. OR. TAURIN.

---

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
Capilla Alfonsina
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria
Biblioteca Valverde y Tellez

## Volumen IX.

**Pars IV. Concionum de Sanctis.**

AUGUSTÆ TAURINORUM
EX OFFICINA LIBRARIA ECCLESIASTICA
Eq. LAURENTII ROMANO Editoris
M.DCCC.LXXXII.

45164

BV30
L3
v.5
t.9

*Juribus servatis.*

CAPILLA ALFONSINA
UANL
FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

Taurini — Ex Typ. V. Bona.

# CONCIONES DE SANCTIS

## DE NATIVITATE B. V. MARIÆ.

### CONCIO UNICA.

*Mementote diei hujus* (Exodi 13).

Magni et admiratione digni fuere omnes Dei Genitricis Mariæ dies, nec habetur aliquod vitæ ejus momentum, quod a singulis hominibus laudari et prædicari non debeat. In primis autem recolenda, veneranda, laudanda et prædicanda felix illa dies, in qua Virgo sacra, e materno egrediens sinu, in hunc mundum venit, ut Verbi incarnati Mater, cœlorum regina, totiusque orbis decus et ornamentum fieret. Hunc nativitatis ejus diem prædixerant prophetæ, expectaverant patriarchæ, optaverant omnes; huncque diem viderunt piissimi Mariæ parentes Joachim et Anna, qui virtutibus et meritis suis talem et tantam gignere meruerunt filiam, cujus nativitas cœlis gloriam, ac universo mundo felicitatem, pacemque refudit. Hæc est sacra illa dies, cujus quotannis nos meminisse præcipit sancta Romana Ecclesia et cujus nos cunctis vitæ nostræ diebus recordari debemus: *mementote diei hujus*. Ut igitur mentibus vestris hæc dies altius infigatur, tota hac concione de ea disseremus. *Ave.*

Tres magnos Christi inter homines versantis dies agnoscimus, diem scilicet nativitatis, diem transfigurationis et diem passionis ejus. Dies nativitatis Christi est *dies honoris* et gloriæ, quia ipse in præsepio inter vilia animalia jacens, magnam apud